



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXXVII. De falsariis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
CHRISTI
1287.

præminencia præfulgentes, vniuersitates ciuitatum & locorum, ac consules eorumdem, qui, vt nullus conqueratur, coram ecclesiastico iudice prohibent, ac statuta condunt contra clerum seu clericos, & ecclesiasticam libertatem: hæc edicto perpetuo tali pœna volumus puniri, videlicet, quod personæ talia de cetero committentes modo quolibet excommunicationis, & vniuersitates interdicti subeant sententias ipso facto.

XXXVII.

Falsarios literarum, seu bullæ summorum pontificum, monetarum, aut literarum, vel sigilli eorum, excommunicantes in scriptis eos qui scienter receptauerint, aut eis præstiterint, quo minus capiantur, auxilium, consilium vel fauorem, publicum vel occultum, præsentis constitutionis tenore ipso facto excommunicationis esse volumus vinculo innodatos.

XXXVIII.

Quotiens ex iusta causa episcopus locum aliquem ecclesiastico supposuit interdicto, id obseruent, & obseruari faciant alii episcopi conuicini, vt inter se compatientes mutua caritate adinuicem in tuitionibus ecclesiarum, earumque iurium alter alteri alternis subsidiis suffragetur.

XXXIX.

Conseruatores, qui personis religiosis & monasteriis maxime dari consueuerunt, exemptis per summum pontificem, aut legatos eius missos a latere, sub certa forma, cum additione illa, videlicet attentius prouisurus, vt eis & de his, quæ causæ cognitionem exigunt, & quæ indulta huiusmodi

Concil. Tom. 28.

Pppp